UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

913. An, & quæ præter causam legitimam requirantur solennitates ad faciendam unionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-74494

Visual Library

ſia aliqua uniri poſſit alteri reducunt. Azor *loc. cit.* Barboſ. & ex eo Ventrigl. ſi Eccleſia unienda ſit ab hoſtibus deſolata vel deſtructa. *c. 2. de religios. domib.* Si alteri eſt vicina, & reſtant pauci de ejus populo, aliis mortuis. *c. & temporis. 16. q. 2.* Item detrimentum & incommodum populi. *c. ad audientiam. 2. de religios. domib.* ac denique religionis deformitatem & mutationem temporum. *c. 2. & c. fin. §. hoſtilitatis. 25. q. 1.*

4. Ad utilitatem verò ſpectat, quando propter fructuum tenuitatem non inveniuntur Clerici idonei ad deſerviendum. Caſtrop. *cit. nu.* 19. Azor *cit. q.* 14. Ventrigl. *cit. nu.* 23. Barboſ. *loc. cit. nu.* 39. citans Rebuff. *de union. nu.* 39. Hojed. *de incomp. p. 2. c. 3. nu.* 8. Ugolin. *de off. Ep. c. 25. in princip. nu.* 4. juxta *c. expoſuiſti.* Ubi etiam illud obſervandum ex Lott. *loc. cit. n.* 19. quòd attendendum diligenter ſit ad verba unionis; an videlicet dicatur, eam fieri, quia aliàs ibi non poſſunt miniſtri commodè haberi (quo caſu jam concluditur ad neceſſitatem, niſi fortè alius cogi poſſet ad dotandum, vel dotem augendam) an verò dicatur: *ut ibi commodiùs habeantur, vel ſuſtententur*; eò quòd *tò commodiùs* præſupponat ſatis commodè eo uſque ſuſtentari; cùm natura comparativi ſit ſupponere poſitivum, & quòd, ubi unio aſſeritur facta pro commodiore ſuſtentatione, jam hinc dicatur excludi cauſa neceſſitatis, & ſubjaceat Regulæ revocatoriæ. Item augmentum cultûs divini. Barb. *cit. nu.* 39. citans Sanch. *in Decalog. l. 7. c. 29. n.* 161. Caſtrop. *loc. cit.* citans *c. ex parte. de Conſtitut.* Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 9. Unde ait idem Caſtrop. cum Sanch. aliiſque ab eo citatis, manifeſtè conſtare, quòd adſit ſufficiens cauſa uniendi beneficia Conventibus religioſorum, dum eorum unione augetur cultus divinus.

Quæſtio 913. An, & quæ præter cauſam legitimam requirantur ſolennitates ad faciendam unionem?

REſpondeo pro formalitate unionis præter unum intrinſecum, quod verſatur in juſtitia cauſæ, requiruntur & aliæ ſolennitates extrinſecæ, non minùs tamen neceſſariæ ad ejus valorem. Lott. *l. 1. q. 28. n. 142. juncto n.* 151. Verſanturque illæ circa duo, nimirum circa vocationem illorum, qui lædi poſſent, & circa tractatum, quo tractatur diſquiſitio cauſæ neceſſariæ ad unionem. Lott. *loc. cit. n.* 152. Qui tractatus fieri debet in Capitulo, non ob aliud, quàm arctiſſimam conjunctionem, quam habet Epiſcopus cum Capitulo ſuo, cum quo omnia ardua negotia debet expedire, juxta *c. novit. de his, quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſ. cap.* Lott. *nu.* 153. Quapropter jam Legatus, etſi jure Ordinario pollens, faciat unionem, non tamen tenetur ad præmittendum hujuſmodi tractatum; cùm nulla illi ſit communio cum Capitulo, ſicut eſt Epiſcopo, & conſequenter ad nullum tractatum præmittendum tenetur; cùm ille tractatus alibi non debeat expediri, quàm in Capitulo. Lott. *n.* 154. juxta Rotam apud Ægid. *deciſ.* 513. Verumtamen talem tractatum cum Capitulo non requiri, ſed ſolum conſenſum illius, tenent Azor. *p. 2. l. 6. c. 28. q.* 12. Garc. *cit. c. 2. nu.* 146. citans Pavin. *de pot. cap. ſed. vac. p. 2. q. 3. n.* 22. Rebuff. *in pr. ad reg. de union. gl. 11. n.* 2. Boërium, *deciſ. 45. nu.* 2. Practicabil. Rotæ *c. de union. nu.* 8. & Rotam *deciſ. 1. de reb. Eccl. non alien. in antiq.* Item Barboſ. *juris Eccl. l. 3. c. 16. n.* 42. ubi: *Tractatus ſolennis requiſitus à jure in alienatione rei Eccleſiaſticæ, non requiritur in unione; cùm hæc unio rationem veræ alienationis non ſubeat.* Item Caſtrop. *cit. §. 2. nu.* 29. citans plures. Papa tamen minimè eſt obnoxius formæ huic, quæ verſatur circa diſquiſitionem cauſæ: & ſi alteri eam committat, ille tenetur formam reſcripti ſimpliciter obſervare; cùm præter illam omnes aliæ ſolennitates cenſeantur interveniſſe. Lott. *loc. cit. nu.* 148. citnas Abb. *conſ. 41. n. 3. p.* 1. Decium *conſ. 341. n.* 12. ſic quoque ait Corrad. *pr. benef. l. 2. c. 15. n. 70. & 73.* dum recurritur ad Papam (puta Capitulo vel Patrono negante ſuum conſenſum ob cauſam minùs legitimam) pro impetranda unione, Papa ſupplet omnes ſolennitates, omnéſque defectus; & ſic in hujuſmodi unionibus præter Papæ auctoritatem non requiritur alia ſolennitas, quando nimirum ipſius Papæ auctoritas legitimè ac validè fuit interpoſita, ſecus ſi nulliter & ſubreptitiè. Idem habet Card. de Luca. *de benef. d. 45. n.* 9. ubi: *Auctoritas Apoſtolica ſupplet quaſcunque alias ſolennitates, & in ſpecie illam conſensûs Capituli.*

Quæſtio 914. An, & qualiter requiratur conſenſus Capituli ad faciendam unionem?

1. REſpondeo: Neceſſariò requiri concenſum Capituli Cathedralis, dum per Epiſcopum fit unio. Caſtrop. *de benef. d. 6. p. 12. §. 2. num.* 24. Garc. *cit. c. 2. n.* 145. Ventrigl. *to. 2. annot. 8. §. 2. n.* 2. Azor *loc. cit.* Card. de Luca *loc. cit. nu. 3. & 4.* Corrad. *pr. benef. l. 2. c. 15. n. 67. & l. 4. c. 8. n.* 23. juxta *Clem. ſi unio.* ubi conceditur Epiſcopis facultas uniendi juxta formam juris, quæ verba intelligunt AA. juxta formam *c. ſicut unire.* & *cit. Clem.* ubi requiritur conſenſus Capituli. Ratio jam *q. præced.* indicata eſt, nempe maxima conjunctio Epiſcopi cum Capitulo, ratione cujus majoris gravioris momenti negotia exigunt tractari cum Capitulo, & de conſenſu illius expediri. Ventrigl. *loc. cit.*

2. Ampliatur reſponſio primò, ut adhuc hodiedum, dum ex Trid. datur facultas uniendi Epiſcopis tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis; adeóque etiam, dum hi uniunt tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati, requiratur hic Capituli conſenſus, cùm, ut dictum paulò ante, Concilium concedat Epiſcopis facultatem uniendi ſervatâ formâ juris, quæ eſt, ut inter cetera requiratur hic conſenſus, Garc. *loc. cit. n. 157. juncto nu.* 158. ſic reſolutum inquiens à S. Congregat. contra Nav. *conſ. 10. de off. Jud. deleg. nu.* 150. & Zerol. *pr. Ep. p. 2. v. unio. §.* 9. Atque ita non videtur ſubſiſtere, quòd tradit Garc. *cit. c. 2. n.* 190. & ex eo Corrad. *cit. c. 8. n.* 24. quòd in unione facienda Seminario ex eodẽ Trid. non requiratur ipſius Capituli conſenſus, ſed ejus loco fiat hæc unio cum Conſilio quatuor deputatorum, quorum duo ſunt de Capitulo, & duo de Clero. Contrarium etiam tradit Ventrigl. *loc. cit. n.* 13. ubi: *declara, quòd ultra conſenſum Capituli requiſitum ad omnes uniones per cit. Clem. in unione facienda Seminario requiritur etiam Conſilium quatuor deputatorum, duorum de Capitulo, & duorum de Clero, juxta terminos Concilii Trid. ſeſſ. 23. c. 18. prout voluiſſe Rotam, & declaraſſe S. Congregat. refert Riccius in pr. p. 1. reſol. 390. n.* 3. Quo etiam ſpectat, quod tradit Lott. *l. 1. q. 28. n.* 155 hiſce expreſſis: *ſi legatus vel Papa committat ſubſtantiam unionis ipſimet Epiſcopo (niſi aliter in forma reſcripti appareat neceſſitas hæc remiſſa) debet Epiſcopus adhuc ſui Capituli conſenſum adhibere.*